

Joachim Stockmann

**Rector Academiae Rostochiensis Joachimus Stockman, Phil. & Med. D. ac Prof.
Ad iusta funebria Quae Viro ... Dn. Zachariae Sebes, Senatori huius urbis
gravissimo & praesidi militaris praefecto Vidua & liberi maestissimi ... parata
cupiunt, Omnes Academiae Cives peramanter & officiose invitat ...**

Rostochii: Kilius, 1650

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn894677764>

Druck Freier  Zugang



A.

RECTOR
Academiae Rostochiensis
JOACHIMVS STOCKMAN,

Phil. & Med. D. ac Prof.

Ad Iusta funebria

Quae

Viro Fortissimo & Prudentissimo


D N. ZACHARIAE
SEBES,

Senatori hujus urbis gravissimo
& praesidii militaris praefecto

*Vidua & Liberi maestissimi, hodie hora primâ
parata cupiunt.*

Omnes Academiae Cives peramanter
& officiosè invitât.


Conventus fiet in aede B. Jacobo sacrâ.



—(o)—



ROSTOCHII,
Typis NICOLAI KILII, Acad. Typogrâ
ANNO M. DC. L.



Faint, illegible text, possibly bleed-through from the reverse side of the page.





Uo tempore Duci & aucto-
ri salutis è mortuis in vitam rever-
so, & de morte ac Diabolo infensis-
simo humani generis hoste glorio-
sè triumphanti publicè gratulationes faciunt om-
nium gentium provinciarumq; Christiani: eo-
dem SEBESIANA dom^o lugubres nãnias & lèssos
privatim ingeminat. Corruit enim ejus columen
ac fulcrum Ipse SEBESIUS, de cujus natalibus, vi-
ta & obitu quæ accepimus, breviter exponemus.
Natus Is anno supra millesimum sexcentesium
primo, in civitate montana ZELLERFELDA,
quæ in circulo Wolfenbutelensi sita. Pater ipsi
JOANNES extitit, Civis ejus oppidi non infir-
mus: mater verò MARGARETA ex Judice
quondam ejusdem loci JOBST Zohlen viro ho-
nesto progenita. His editus in lucem parentibus,
CHRISTO per baptismum insertus, moreque
Christiano educatus, & ad meliora omnia domi
primò institutus est. Undecim annorum adole-
scens in ministerio JOANNIS HARBARTI co-
gnati sui, rationibus argentifodinarum præfecti,
aliquamdiu fuit, donec pro Illustrissimo Princi-
pe GEORGIO Duce Brunovicensium & Lunæ-
burgensium conscribi milites audiret, inter quos

& ipse nomen suum professus per biennium & menses duos stipendia fecit. E tirocinio hoc missus, amore gloriæ ac fortissimorum heroum excitatus tropæis tantum abfuit ut miliciam fugeret, ut potius infracto animo magis magisq; persequeretur. Quapropter ad potentissimos ordines federati Belgii, in illam nimirum & literarum & armorum palæstram se contulit, ubi per biennium & dimidium anni æra Eum meruisse accepimus. Ex hoc tempore, cum rei bellicæ se totum consecrasset, & jam vires ejus virtutesq; magis innotescerent, ad officia obeunda & fortiter administranda habitus est idoneus. Primò quidem Serenissimo Danorum REGI, qui Censor virtutis ac solertiæ Sebesianæ manipulo equestri eum præfecit, cui muneri per annos tres & sex menses laudabiliter præfuisse dicitur. Hinc in exercitu Cæsareo annos IV. & menses III. officio præfecti excubiarum equestris functus est, & tandem apud Serenissimum ac Potentissimum Electorem Saxonix Signiferi partes per annum ac mensem unum summâ cum laude explevit. Postea delatus est Rostochium, ubi Anno cto Ioc XXXII. d. XIII. Febr. posthabitâ cælibe vitâ ad matrimonium applicuit mentem, exambiiitque primùm castissimam feminam. WENDULAM Wedigen BERNHARDI Krautz
piè

piè defuncti viduam, quâ cum connubio junctus
progenuit MARGARETAM, viro integerrimo
& honestissimo Dn. CHRISTIANO Kneſebecken/
qui Civis cum pannis mercimonium hodie facit,
anno supra millesimum sexcentefimum, qua-
drageſimo nono nuptum collocatam; & filio-
lum, qui infans unâ cum matre in puerperio an-
no clò Ioc XXXIII. d. IV. Septembr. occubuit,
ſimulq; cum ea terræ mandatus eſt. Poſt anno
clò Ioc XXXIV. d. XXVI. Auguſti ad ſecunda,
transiit vota, & matrimonio ſibi junxit lectiſſi-
mam virginem CHRISTINAM, NICOLAI
KIRCHNERI Civis & negociatoris apud nos
quondam primarii filiam, cum qua placidè ac
ſvaviter per novem quaſi annos vixit, quæque
patrem ipſum fecit quinque liberum, qui ex-
ceptis ANNA & JOACHIMO adhuc ſupe-
rant. Durante hoc matrimonio adſcitus eſt in
ordinem Senatorium Anno clò Ioc XXXVIII.
d. XXIV. Februarii, & paullò poſt, anno ni-
mirum clò Ioc XL. d. VI Febr. ab Illuſtriſ-
ſimo Ceſſiſſimoq; PRINCIPE MECKLEN-
BURGICO, Domino noſtro indulgentiſſimo,
conſentiente Senatu hujus Urbis prudentiſſimo,
Capitaneus præſidij militaris apud nos electus
fuit: quam functionem per decennium cum lau-
de adminiſtravit. Quinq; abhinc annis ſupremus

fuit præsidii hujus militaris præfectus, volente
ita Illustrissimo ac Celsissimo PRINCIPE no-
stro, ut & Senatu urbis amplissimo, Auspiciis al-
terum hoc conjugium videbatur aptum esse bo-
nis, quando & Conjugem novam & dignitates
novas acciperet: sed non tulit ætatem. Quid heic
ageret DN, SEBES? Parvuli liberi in domo ejula-
bant, matrem desiderabant. Quid ageret igitur?
ter ad eundem impingeret lapidem, & tertius sese
implicaret nuptiis? at à Charonda etiam secun-
das damnatas sciebat, nec ignorabat, improbè ab
eo accusari, qui mare unde vix salvus enatârît,
reperat, & iterum naufragium faciat. Jecit tamen
tertiâ quoq; vice aleam: nec ea infeliciter ceci-
dit. Vixit enim in conjugio cū MARGARETA
Sürsenow/Excellentissimi ac Clarissimi viri DN.
M STEPHANI HEINII, Prof. Hebr. Ling. in
hac Academia p. m. celeberrimi vidua conjun-
ctissimè, filiamq; ex ea, quam AN. clō Ioc XLIV.
d. XVI Jul. uxorem duxerat, unicam ANNAM
MARGARETAM, AN. clō Ioc XLVI. d. XIV.
Febr. sustulit & reliquit, tanto omnium commi-
seratione magis dignam, quanto orbitatem mi-
nus sentit. Biennium est ex quo languescere ce-
pit, ingravescente indies morbo. Quanquam
enim remittere pollicerique meliora videretur,
resumpsit tamen post KAL. JAN. currentis anni vi-
res

res suas, intenditque ita se, ut natura pariter, pariterque illius ministri medici, tanquam nihil deinceps suffecturi, animum desponderent. Ex graviore enim pulmonum morbo cum hæniopyssi conjuncto Empyema ante longum tempus contraxerat æger, & inde diuturnâ tabe consuebantur vires. Quod cum persentisceret, colligere animum ac res suas omnes parare, tanquam abiturus ex hoc mundo, in quem non nisi hospes venerat, seponere enim ex oculis, & procul habere mortales, nimiumque brevis vitæ spes, committere autem domum, conjugem, seseque ipsum in fidem ac patrocinium Creatoris cernebatur. Cujus causa Reverendum & Clarissimum virum DN. M. CHRISTIANUM MICHAELIS, ad B. Jacobi Pastorem vigilantissimum binis vicibus ad se vocari, editaque peccatorum Confessione ac impetratâ veniâ, pasci se corpore ac sanguine Redemptoris sui, Spiritusque sancti gratiâ per veram obstinatamque fidem ad iter suum, cæleste instrui durarique jussit. Id quod die X. April. inter 6. & 7. matutinam nihil ab animo, cujus compos ad extremum erat, alienatus, gratulabundus sibi ac lætus, inter preces ac suspiria, quinquagesimum ætatis annum ingressus confecit. Magnum quidem ille Maritæ dolorem attulit, sed quod secundâ vice in mœstissima vidua
tenta-

tentatum atque impetum fuit, quanquam factis fuerit saucius animus ejus, bis resumere spiritum & colligere sese non ignorabit. Nihil humani à se alienum hactenus opinata, nihil factura est à Christiano homine alienum: luctui modum ac terminum, in DEO spes suas ac fiduciam, in futura omnium piorum beatitudine solatium super charissimi Conjugis discessu collocatura.

Cæterum, Cives Academiae, nostrum officium est, ut afflictæ opem, mœstæ consolationem adferamus, quantum quidem in nobis est. Id hoc tempore vix aliâ ratione efficiemus, quàm si frequenti comitatu funus ornemus. Id quod facturos vos omninò confido. Facietis alteri, quod vobis fieri optetis, quod charitati Christianæ convenit, quod communis etiam humanitatis officia flagitant Commendabitis unâ operâ Deo immortalis nostræ Academiae, urbis, provinciae incolumitatem, quâ incolumi nostra continetur incolumitas, & ÆTERNITATEM COGITABITIS P. P. Rostochi, sub sigillo Rectoratus AN. clo lcc L, d. XVII. Aprilis.

✿(o)✿



102.

rentatum atque impetum fuit, quanquam fa-
tis fuerit faucibus animus ejus, bis resumere spi-
ritum & colligere sese non ignorabit. Nihil hu-
mani à Christiano homine alienum: luctui mo-
ac terminum, in DEO spes suas ac fidu-
in futura omnium piorum beatitudine
super charissimi Conjugis discessu col-

Cives Academiae, nostrum officium
opem, mœstæ consolationem ad-
m quidem in nobis est. Id hoc
atione efficiemus, quàm si fre-
quentius ornemus. Id quod factu-
ros vos oportet. Facietis alteri, quod
vobis fieri debet. Sed charitati Christianæ
convenit, quod etiam humanitatis
officia flagitant. Sed etiam unâ operâ Deo
immortali nostræ urbis, provinciæ
incolumitatem, quæ ultra continetur
incolumitas, & ÆTERNA COGITA-
BITIS P. P. Rostocki Recto-
ratûs An. cl. 1700
Aprilis.

102.

